

**I. STATUTUM SIGISMUNDI PRIMI REGIS DE NON SUSCIPIENDIS
AD ECCLESIAS CATHEDRALES ET COLLEGIATAS PLEBEIS¹**

Sigismundus primus rex Poloniae. Volentes tempore felicitatis nostri regiminis obviare tempestive periculis dissensionum et seditionum intestinarum, quae omni externo bello sunt graviores, quarum dissensionum sunt nunc nulla indicia iam pullulant ex eo, quod dignitates et loca ecclesiarum nostri Regni cathedralium inferioris status homines saepe per ambitionem quaerere consueverunt cum periculo manifesto earundem ecclesiarum et dignitatum et cum praepiudicio nostrae nobilitatis, quae ab antiquis temporibus laborum et virtutum suarum officio eisdem dignitatibus ecclesiasticis semper praeficiebatur, tam quod eadem nobilitas suis propriis cervicibus a casibus bellicis regnum ipsum defendere consuevit et astricta est, tum quia eadem ecclesiae propter genus et assistentiam sui ipsius invicem sub pace et defensione debita exsistebant, quod esse nequaquam posset, si per eos regerentur, qui eadem assistentia et ceteris adminiculis protegendis ipsas carent, proinde de communi omnium consiliariorum nostrorum consilio et assensu atque eiusdem universae nobilitatis expostulatione hoc praesenti statuto ac decreto, perpetuis temporibus duraturo, sancimus, constituimus et irrevocabiliter decernimus, ut de cetero ad cathedrales ecclesias in episcopos et in eisdem ecclesiis in praelatos, in collegiatis vero ecclesiis ad principales dignitates homines tantummodo de corpore eiusdem nobilitatis possint promoveri, inhibentes strictissime sub poena perpetui exilii et confiscationis bonorum omnium, cui tam eos, qui praesenti constitutioni quoquomodo vel colore aliquando auderent contravenire, ambiendo ubivis locorum suprascriptas dignitates vel etiam oblatas acceptando, quam eorum parentes, amicos et propinquos subiacere volumus, ita ut cum primum huic decreto aliquis quocumque titulo insignitus, non existens nobilis, inventus fuerit contravenisse, ipso facto praedictae poenae sit subiectus cum eisdem parentibus, amicis et propinquis suis. In canonicatibus vero earundem cathedralium ecclesiarum per alios quam nobiles obtinendis servari volumus privilegium decretumque alias per praedecessores nostros editum², adiciendum hoc etiam, ne quisquam cuiuscumque generis vel condicionis exsistat, audeat beneficium quodcumque nostri iurisdictionis quomodocumque impetrare vel oblatum a quovis suscipere sine nostro consensu sub incursu praefatae poenae exilii et confiscationis suorum bonorum et parentum, amicorum et propinquorum eius. Et quoniam quaestio posset incidere de genere nobilitatis, quod diverso modo a quibusdam interpretari solet, declaramus, quantum ad praesens statutum attinet, eum tantummodo vocari debere nobilem et capacem dictarum dignitatum et beneficiorum, cuius uterque parens nobilis et ex familia nobili sit progenitus et qui tam ipse quam parentes eius habitarent et habitent in suis possessionibus, castris, oppidis vel villis iuxta morem patriae et consuetudinem nobilitatis, viventes legibus et iuribus regni nostri nobilium. In quo genere nobilitatis eos quoque nobiles appellandos censemus, qui licet matre populari, patre tamen nobili sint procreati, quorum tamen parentes et ipsimet vivant et vixerint ad instar aliorum nobilium in regno, ut supra, et non exercuerint vel exercent eas artes et actiones, quas communiter cives et qui in civitatibus morantur, exercere solent, per quarum usum nobilitas ipsa in popularem et plebeiam condicionem transire solet.

¹ Por. wyżej, nr XI, I, pkt 12 — sejm walny radomski 1505 r. (Statuta ecclesiarum, seu de plebeis...). Jest to niemal dosłowne powtórzenie.

² Por. wyżej, nr II, pkt 54 — statuty piotrkowskie 1496 r.: De plebeis ad maiores ecclesias non recipiendis, oraz nr XI, I, pkt 12 — sejm walny radomski.